

Addimus, mandantes hoc in loco intelligendos illos esse qui habent auctoritatem, ut superius probavimus, cogentium nomine quoslibet qui vim inferunt qua oppositorum superent resistantiam vel repugnantiam; at nisi adsit oppositio, auctoritatem habentes in re sese non immiscent, neque cogentes vim aliquam inferunt. Necessario igitur in eiusmodi interdictorum cadaverum sepultura supponenda est sive monitio, sive protestatio, sive oppositio auctoritatis ecclesiasticae. Atqui certum undequaque est, Ecclesia praefatas monitiones, et protestationes emittere, atque oppositionem agere ex causa canonica, allegando scilicet legem et poenas adnexas in contrafacientes; idque tum ut iuridice se agere probent et ad superiorum legum praescriptam, in quibus dispensare non possunt, tum ne in iudicium a laicis iudicibus rapiantur, tum praecipue ut moneant mandantes, cogentes, et alios quoslibet quod rem agant contra praescriptum Ecclesiae, et poenas consequenter incurrant indictas.

3^o Nullo igitur pacto mandantes et cogentes supponendi sunt legem ignorare; sed eo in statu reperiri, quo legem nedum perfecte agnoscunt, sed etiam perfecte continentur.

Quamvis igitur Pius Papa IX adverbium *scienter* aut verbum *praesumpserint* in cit. capite praetermiserit, eiusmodi vocabula suppo-

nenda necessario sunt, cum in facto ipso necessario includantur.

Ratio hinc in praesenti Capite clarissimo De Varceno favet.

Ex iis vero sequitur, quod si quacumque ignorantia etiam affectata mandantes vel cogentes detineantur, excommunicationem non incurrunt; et dari posse eiusmodi casum impossibile fere putamus.

Postremo loco observare debemus, quod quamvis mandantes et cogentes excommunicationem incurrant ob sepulturam vel notorii haeretici, vel nominatim excommunicati aut interdicti exinde nemo putet, quoslibet alios iure prohibitos posse sepulturae post Pianam constitutionem mandari; etenim qui lege lata quominus sepelirentur in loco sacro antea prohibebantur, et nunc prohibentur; excommunicatio autem non incurritur nisi ob illorum sepulturam qui in Piano Capite recensentur.

Ceteros autem quorum corpora in loco sacro sepeliri interdicuntur, quique si vi aut mandato sepeliantur, nulla incurritur excommunicatio, ex Rituali Romano *Tit. de Exequiis* ita describimus.

« Negatur ecclesiastica sepultura » paganis, iudaeis et omnibus infidelibus; haereticis et eorum fautoribus; apostatis a christiana fide; » schismaticis, et publicis excommunicatis maiori excommunicatione; interdictis nominatim, et » iis qui sunt in loco interdicto, » eo durante.

» Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam, non » tamen si ex insania id accadat, » nisi ante mortem dederint signa » poenitentiae (1).

» Morientibus in duello, etiamsi » ante obitum dederint poenitentiae signa.

» Manifestis et publicis peccatoribus qui sine poenitentia perierunt.

» Iis de quibus publice constat, » quod semel in anno non susceperint sacramenta Confessionis et » Communionis in Pascha, et absque » ullo signo contritionis obierunt.

» Infantibus mortuis absque baptismo.

» Ubi vero in praedictis casibus » dubium occurrerit, ordinarius » consulatur ».

Hisce omnibus igitur neganda est ecclesiastica sepultura; at si ex sepulturae negatione scandala imminuant, absque peccato eam Parochi permittent; ita enim Suprema Inquisitio de re interrogata respondit die 13 Iulii 1609. « Sepulturam haereticorum tolerandam esse, si ei absque scandalo resisti non potest. » Apud Giraldi *Expositio Iuris Pontificii, Part. 1. Sect. 809.*

APPENDIX XXXV.

De Excommunicatione lata in laedentes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii.

In qualibet hominum societate et praecavere ne malum agant; at rite constituta inquisitionem esse fontes in qualibet societate et nascere nemo negaverit; fontes enim scuntur et existunt; in qualibet plectere nedum societas debet, sed ergo societate ii esse debent qui

(1) Porro si quis reperiatur laqueo, veneno interemptus, tenendum est ab alio necatum fuisse. Et si constet, necem sibi intulisse, tenendum est, non fuisse suae mentis, si tristitiae sese dederat, vel mane confessus fuerat. « Ita d'Annibali ex probatis auctoribus *Comment. pag. 93, nota 12 Edit. 3^a ».*

Praestat insuper afferre responsonem quam Sancti Officii Congregatio dedit die 16 Maii 1866 ad sequens dubium: « Utrum liceat ecclesiasticam sepulturam » dare suicidis, aut solemnes exequias cum missa pro iisdem celebrare? »

R. « Quod moneantur Parochi et missionarii ut in singulis casibus quibus » praesens dubium refertur, recurrant quoad fieri potest ad Ordinarium. Quod regula est, non licere dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accadat) nisi ante » mortem dederint signa poenitentiae. Quod praeterea quando certo constat vel » de iracundia, vel de desperatione negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari » debent pompae et solemnitates exsequiarum. Quando autem certo constat de » insania, datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exsequiarum. Quando » tamen dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem aut » per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum ».

in sones noxiosque homines inquirant; at id multo magis in christiana et catholica; cum enim catholicae societatis principibus quae ad fidem animarumque salutem spectant commiserit Deus, cavere omnino debent ne vel fidei depositum, vel morum doctrina depravetur; iis enim corruptis impossibile est aeternam consequi salutem, cum sine fide impossibile sit placere Deo. Sub eiusmodi generali denominatione Inquisitores nullo tempore in Ecclesia defuerunt; iique erant et sunt Episcopi quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.

Episcoporum tamen inquisitionem gravem non habuerunt homines maleferiati, sed Inquisitionis Institutum, quod labente saeculo XII constabili in Ecclesia coepit gravissimum tulere atque sunt detestati, Lutherani praesertim, et in genere Protestantes, postea vero Encyclopedistae, deistae, et increduli omnes, atque nunc cuiusvis nominis homines qui liberales vocantur, quasi Inquisitionis supremae finis non fuerit catholicae fidei conservatio, haeresumque extirpatio, vel quasi si quid ab Inquisitoribus particularibus, a ministris quibuslibet, aliisque S. Tribunalis officialibus vel executoribus excessus commissi sunt, in ipsum Inquisitionis Institutum refundi debeant. Si enim haec dicamus, firma ne quaelibet etiam sanctissima Institutio consistet, cum impossibile fere sit abusus non committi, ubi homines negotia gerunt tractantque?

Iam vero qui primus Inquisitionem instituit, fuit Lucius Romanus Pontifex, qui anno 1184 in coetu Veronae habito nedum Episcopis, sed etiam Friderico I Romanorum Imperatore aliisque saecularibus principibus approbantibus, sequentia decrevit:

« Ad haec de episcopali consilio » et suggestionem culminis imperialis, » et principum eius, adiecimus ut » quilibet Archiepiscopus, vel Episcopus, per se, vel archidiaconum » suum, aut per alias honestas idoneasque personas, bis vel semel » in anno, parochiam in qua fama » fuerit haereticos habitare, circum » eat; et ibi tres vel plures boni » testimonii viros, vel etiam, si expedire videbitur, totam viciniam » iurare compellat, quod si quis » ibidem haereticos sciverit, vel » aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus » dissidentes, eos Episcopo vel Archidiacono studeat indicare. Episcopus autem, seu Archidiaconus » ad praesentiam suam convocet » accusatos: qui nisi se ad eorum » arbitrium iuxta patriae consuetudinem ab obiecto reatu purgaverint, vel si post purgationem » exhibitam in pristinam fuerint » relapsi perfidiam, episcoporum » iudicio puniantur. Si qui vero ex » eis iurationem superstitione damnabili respuentes iurare forte » noluerint, ex hoc ipso haeretici iudicentur, et poenis quae

» praenominatae sunt percillantur (1) ».

Quas vero poenas haereticis infligendas Lucius III Episcoporum arbitrio dimiserat, in Concilio Lateranensi IV anno 1215 celebrato, Can. III Innocentius III determinavit; ita ut « damnati haeretici » saecularibus potestatibus praesentibus, aut eorum Ballivis (2) relinquantur animadversione debita puniendi; Clericis prius a suis ordinibus degradatis; ita quod bona huiusmodi damnatorum si laici fuerint, confiscantur; si vero Clerici applicentur Ecclesiis, a quibus » stipendia perceperunt ». Postea vero iisdem verbis ea repetit quae Lucius III statuerat, atque in Episcopum negligentem poenas decernit, scilicet « ut ab Episcopali officio deponatur, et in locum ipsius alius substituatur idoneus, qui velit et possit haereticam » confundere pravitatem ».

Hucusque tamen inquisitionis officium Episcopis commissum fuerat. At anno 1227 Gregorius Papa IX officium inquirendi in haereticos commendavit Conrado Marpurgensi, et Ioanni Salernitano ordinis Praedicatorum, ut in Tom. I. Annalium huius ordinis asseritur et probatur.

Episcopis tamen inquirendi facultas adempta non fuit. Etenim in synodo Tolosana anni 1229 statutum fuit, ut Episcopi in singulis Parochiis sacerdotem unum constitue-

rent, et duos vel tres boni testimonii laicos, qui in haereticos diligenter inquirerent, repertosque una cum eorum receptatoribus et fautoribus Episcopo et locorum dominis denuntiarent. Anno 1233 Gregorius IX officium supremae Inquisitionis in Gallia meridionali Fratribus Praedicatoribus demandavit cum opportunis facultatibus reos iudicandi et poenitentes absolvendi, quibus leges praescriptae fuerunt ut officio commisso rite fungerentur.

Atque saeculo XIII Inquisitio suprema instituta fuit in Gallia in Italia, in Hispania, et in Germania; Saeculo XIV in Polonia; XV in Anglia, quamvis ubique non perduraverit, neque unis Fratribus Praedicatoribus commissa fuerit.

Congregatio tamen S. Officii anno 1542 a Paulo Papa III instituta fuit. Ea constabat sex Cardinalibus, quibus generalium Inquisitorum munus detulit, ad eosque graviores causas deferri praecepit. Eis praeest Summus Pontifex, subiacentque spectatae doctrinae et integritatis consultores plurimi, ut omnia ad tramitem iustitiae et veritatis decernantur.

Haec breviter relate ad Inquisitionis historiam adnotavimus. Ex iis vero quilibet facillime deprehendet, Inquisitores in homines haereticos et pessimos rem agere debuissent; nil mirum hinc si dicteria, con-

(1) Apud Migne Patrol. Lat. Tom. 201. col. 1299.

(2) Ballivi dicti sunt, quibus iustitiae in provinciis et maioribus civitatibus administrandae cura a principe demandata erat.

vicia, calumniae, odia, in Inquisitionem coniecta fuerint, atque etiam nunc coniciantur, persecutiones insuper illatae, quas S. Pius V lamentatur in Constitutione mox alleganda. Nos equidem non dicimus, nullum umquam in puniendis vel exquirendis haereticis ab Inquisitoribus, officialibus et ministris excessum vel abusum commissum fuisse; homines enim fuere

et sunt; sed ex abusibus et excessibus quibusdam bona fide, ut est credendum, commissis, ad Institutionis ipsius pravitatem nemo iure concludet.

Hisce praemissis; ut de antiquo iure quoad rem nostram aliquid dicamus, Iulius III Romanus Pontifex anno 1551, quinto decimo Kalendas Martii edita Constitutione *Licet a diversis* (1) nedum de praedeces-

(1) « Licet a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, etiam » per speciales Constitutiones in corpore iuris insertas, fuerit rite et salubriter » sancitum atque decretum ut saeculi potestates et domini temporales, ac provinciarum, civitatum, terrarum et locorum quorumcumque rectores quibus- » cumque dignitatibus, vel officiis aut nominibus censeantur, dioecesanis episcopis et inquisitoribus haereticae pravitatis in ipso inquisitionis negotio favent et assistant; nemoque ex praedictis potestatibus, dominis et rectoribus, eorumque officialibus de crimine haeresis, cum mere sit ecclesiasticum, quoquo modo cognoscat vel indicet, neque dioecesano vel inquisitori ipsius inquisitionis negotio incumbenti se opponere, aut ipsum aliquatenus impedire, vel impediendibus auxilium aut favorem scienter dare audeat, perpetuae damnationis sententia in eos, qui contra praedicta fecerint promulgata, quam si per annum animo sustinnerint pertinaci, ex tunc velut haeretici condemnentur; usque adeo tamen in omnibus fere, non solum Italiae, verum etiam aliis provinciis, civitatibus, terris et locis, complurium laicorum, ut accepimus, gloriae processit ambitio vel sacrorum canonum insecutia, vel ecclesiasticae disciplinae contemptus, ut in animarum suarum perniciem atque interitum, dioecesanos episcopos et inquisitores a Sede Apostolica institutos, inquisitionis officium exercentes, alii sub iustitiae praetextu, ne ulli scilicet fiat iniuria, impedire, alii vero sub pietatis colore, ut sotes scilicet severius puniantur, se ipsis dioecesanis Episcopis et inquisitoribus adiungere, et una cum eis de ipso haeresis crimine cognoscere, processus formare, formatosque suo iudicio submittere non erubescant.

§ 1. Cui sane morbo iam nimis late progredienti solitam ac salutarem Ecclesiae medicinam, pro nostra pastoralis sollicitudine, afferre cupientes, saeculi potestates, dominos temporales ac provinciarum, civitatum, terrarum et locorum rectores supradictos, nec non quascumque alias saeculares personas tam privatas quam publico quovis munere fungentes requirimus et monemus, ac eis Iesu Christi Redemptoris nostri (cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris) nomine praecipimus ne dioecesanos Episcopos et Inquisitores ipsos in suo inquisitionis negotio ullo modo impediunt, seu perturbent, neque se in haeresis crimine cognoscendo vel iudicando, quovis etiam assistentiae et favoris colore, causa vel occasione (nisi quatenus ab ipsis dioecesanis Episcopis aut inquisitoribus spontanea et libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes, provisiones et leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris ca-

porum decretis in re latis locutus est, sed et questus quod laici praetenderent de ipso haeresis crimine una cum Inquisitoribus iudicare, vel ut gravius in sotes animadvertent, vel ut prohiberent quominus alicui inferretur iniuria; atque eiusmodi praetextibus Inquisitores in inquisitionis negotio perturbarent. In hos itaque excommunicatione maiori animadvertit Pontifex, atque acta iudicialia ab eis confecta nulla esse declaravit.

Verum quin perturbationes conquiescerent atque in inquisitores molestiae, illae potius excreverunt; insuper ex praetextibus in apertas violentias prosiluere Inquisitionis adversarii.

Ad compescendam hinc hominum pravitatem S. Pius V, qui antea Inquisitoris munia gesserat, die 4 Aprilis anni 1569 constitutionem gravissimam edidit incipien. *Si de*

protegendis, qua libertati et incolunitati inquisitorum omnino consultum voluit, poenas in illo quodcumque offendentes, statuens. Et en Constitutio, ex qua Pianum Caput desumptum est.

« Si de protegendis coeteris » omnibus Ecclesiae ministris, quos » in fidem et clientelam nostram a » Domino recepimus, cura nobis » quotidiana insidet, quanto maiore » studio eam nos sollicitudinem cavere » pessere necesse est, ut qui in » sacro inquisitionis haereticae pravitatis officio versantur, sub tutela inviolatae auctoritatis huius » Sedis periculorum omnium expectes, quaeque munera ad exaltationem fidei catholicae exequantur.

§. 1. Cum itaque eius generis » impiorum vis quotidie magis invalescat, qui omnibus malis artibus » praedictum officium subvertere

» nonibus obsistentes, et ecclesiasticam iurisdictionem impediunt sine mora abrogant et deleant, prout etiam nos omnes eas invalidas fuisse et esse decernimus » et declaramus, ac ex nunc pro abrogatis et deletis haberi volumus ac mandamus.

§. 2. Qui monitis his nostris non obtemperaverint, quive scienter in praedictis consilium, auxilium aut favorem dederint, noverint se, non solum per sacras dictorum praedecessorum nostrorum constitutiones, verum etiam per hanc nostram sanctionem sive sententiam et declarationem perpetuo duraturam... communionem fidelium et omnium ecclesiasticorum sacramentorum receptione privatos, ac maledictionis ac execrationis aeternae vinculo ligatos, anathematisque et maioris excommunicationis muerone percussos, ita ut nemo umquam in praemissis delinquens, nisi a nobis et successoribus nostris canonice intrantibus, etiam praetextu quarumcumque facultatum, concessionum et gratiarum, etiam confessionalium nuncupatarum, etiam a nobis et a dicta sede hactenus emanatarum, vel in posterum emanandarum, specificam et expressam ac alias quam per verba generalia de praesentibus nostris litteris mentionem non facientium, praeterquam in mortis discrimine, absolvi possit.

§. 3. Quibus etiam censuris ipsos dioecesanos Episcopos et inquisitores subiacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere, aut iudicare permiserint. »

» ministrosque functionibus distur-
» bare moliuntur, eo iam nos de-
» trusit necessitas, ut nefariam et
» scelestam illorum audaciam acer-
» biore castigationis verberare repri-
» mamus.

§. 2. Hac igitur generali consti-
» tutione, de fratrum nostrorum
» consilio, sancimus ut quicumque,
» sive privatus, sive cuncta civitas,
» sive populus, sive dominus, co-
» mes, marchio, dux vel potiore
» titulo illustris, quemvis ex inqui-
» sitoribus, advocatis, procuratori-
» bus, notariis aliisque ministris
» praedicti officii vel episcoporum
» id munus in sua dioecesi aut pro-
» vincia obeuntium, seu accusato-
» rem, denunciatores aut testem
» in causa fidei quomodocumque
» productum vel evocatum occide-
» rit, verberaverit, deiecerit, seu
» perterrefecerit.

§. 3. Quive ecclesias, aedes alias-
» ve res sive publicas sive priva-
» tas, officii aut ministrorum expu-
» gnaverit, invaserit, incenderit,
» expilaverit; aut libros, litteras,
» auctoritates, exemplaria, registra,
» protocolla, exempla, scripturas
» aliave instrumenta sive publica
» sive privata, ubicumque posita
» combusserit, diripuerit seu inter-
» verterit; seu ex incendio aut
» direptione, etiam inermis, sive
» capiendi, sive comburendi, sive
» supprimendi causa fuerit, sive
» res aut personas servari defen-
» dive prohibuerit.

§. 4. Quive carcerem aut aliam

» custodiam, seu publicam seu pri-
» vatam effregerit, vinctum extra-
» xerit seu emisit, capiendum
» prohibuerit, captumve eripuerit,
» receperit, occuluerit, seu facul-
» tatem effugiendi dederit, seu ius-
» serit id fieri; qui coetum concur-
» sumve fecerit, sive, ut aliquid
» praedictorum fieret, homines ac-
» commodaverit, sive alias auxilium,
» consilium aut favorem in quoli-
» bet praedictorum scienter prae-
» stiterit, licet nemo occisus, ver-
» beratus, nemo extractus, emis-
» sus vel ereptus, nihil expugna-
» tum, nihil effractum, succensum
» direptumve, nullum denique da-
» mnium reipsa sit secutum; nihilo-
» minus is sit anathemate praesen-
» tis canonis auctoritate ligatus; idem
» quoque, laesae maiestatis reus,
» dominio, dignitate, honore, feudo,
» ac quocumque alio beneficio tem-
» porali et perpetuo eo ipso pri-
» vatus, saecularis iudicis arbitrio
» relinquatur, qui de eo illas ipsas
» poenas exigat quae damnatis pri-
» mo capite dictae legis per con-
» stitutiones legitimas irrogantur,
» bonis rebusque omnibus fisci iu-
» ribus applicatis, uti etiam est de
» damnatis haereticis per sanctiones
» canonicas constitutum; eius filii
» paterna infamia subiecti, omnis
» et cuiuscumque haereditatis, suc-
» cessionis, donationis, et legati
» sive propinquorum sive extraneo-
» rum omnino sint expertes, eisdem
» praeterea numquam portae pa-
» teant dignitatum.

§. 5. Nemo autem expurgatio-
» nem habere, aut causam ullam
» proponere vel praetendere pos-
» sit, qui tantum nefas in contem-
» ptum et odium huius officii
» admiserit, nisi contrarium per
» claras probationes docuerit se fe-
» cisse. Quod porro de praedictis
» eorumque filiis statuimus, illud
» idem de omnibus clericis et pres-
» byteris saecularibus et quorum-
» vis ordinum etiam exemptorum,
» regularibus, et quacumque, etiam
» episcopali et maiori, dignitate
» praeditis, ac etiam privilegio quo-
» modocumque suffultis decernimus
» exequendum: ita ut ipsi benefi-
» ciis et officiis omnibus ecclesia-
» sticis praesentium auctoritate pri-
» vati, per iudicem ecclesiasticum
» haereticorum more, degradentur;
» demum potestati saeculari traditi
» poenis praedictis, laicorum instar
» subiiciantur.

§. 6. Pontificum tamen causis
» nobis et successoribus nostris re-
» servatis, ut, re quaesita et nobis
» renunciata, contra eos ad depo-
» sitionem et alias poenas praedi-
» ctas procedamus, uti criminis atro-
» citas videbitur postulare.

§. 7. Quicumque autem pro
» talibus veniam petere aut alias
» intercedere tentaverit, in easdem
» illas poenas quae in haereticorum
» fautores a sacris constitutionibus
» inferuntur, ipso facto se noverint
» incidisse.

§. 8. Verum si quis etiam huius-
» modi criminum conscius vel affi-

» nis, sive religionis studio sive
» poenitentia ductus, rem adhuc
» incognitam retexerit, supplicio
» liberetur. »

Discrepantias antiquum ius inter
et novum ex Capite Piano digno-
scimus quod referimus: « *Laeden-
tes aut perterrefacientes inquisito-
res, denunciantes, testes, aliosve
ministros S. Officii, eiusque Sacri
Tribunalis Scripturas diripientes,
aut comburentes; vel praedictis qui-
buslibet auxilium, consilium, favo-
rem praestantes.* »

Et 1. Ex Pio V. ad incurrandam
latam excommunicationem testis
produci vel evocari debebat in
causa fidei; ergo si quis offensis-
set testem non productum aut evo-
catum in *causa fidei*, sed ob aliud
crimen quod fidem non attingeret,
occisores vel percussores latam
excommunicationem non incurrebant.
At Pius Papa IX eiusmodi restric-
tionem abstulit, cum de testi-
bus quibuslibet simpliciter loqua-
tur, non adiecta fidei causa; atque
hinc quantum ad testes attinet, Pii V
Constitutionem ampliavit. Diximus
quantum ad testes attinet, verba
enim S. Pii V §. 2 *in causa fidei
quomodocumque productum vel evo-
catum* ad unos testes nobis refe-
renda esse videntur, cum plerum-
que accusatores et certe denuncia-
tores sponte compareant.

2. S. Pius V et in laedentes ac-
cusatores excommunicationem ma-
iorem intulit: hos autem Pius Papa IX
praetermisit; cum autem accusato-

tores a denunciatoribus distinguantur, si qui nunc illos offendant, excommunicati non probantur.

3. Pariter sub antiquo iure, excommunicabantur qui inquisitores, aliosve omnes quos S. Pius V exprimit §. 2. *deiecissent*; cum autem deicere idem non sit ac *laedere* vel *perterrefacere*; si qui nunc loco inquisitores aliosve ministros deicerent, excommunicati dicendi non essent, cum eiusmodi verbum Pius Papa IX praetermiserit.

4. S. Pius V excommunicatione et eos ferit qui Episcopos Inquisitionis munus in sua Dioecesi exercentes occidissent, verberassent, deiecissent, perterrefecissent; at in sua Constitutione Pius IX de Episcopis huiusmodi ne verbum protulit; vi igitur praesentis capituli non sunt excommunicati qui nunc eos vel laederent, vel perterrefacerent.

5. Sicut nec excommunicati habendi sunt illi qui post Pianam Constitutionem Ecclesias, et aedes, resque publicas aut privatas S. Officii aut ministrorum expugnant, invadunt, incendunt, expilant; aut illi qui carceres, aut alias custodias seu publicas seu privatas effringunt, et ibi detentos extrahunt, aut prohibent quominus delinquentes capiantur, captosque liberant; etenim nec de his personis aut casibus Pius Papa IX in citato Capite verbum profert.

6. Relate ad complices secundarios, seu cooperatores observandum

est quod hi antiquo iure maiorem excommunicationem incurrebant, etiam non secuto effectu: *Licet nemo occisus, verberatus etc. nullum denique damnum reipsa sit secutum; nihilominus is sit anathemate praesentis canonis auctoritate ligatus.* At per Constitutionem Apostolicae sedis ut complices secundarii incurrant excommunicationem, effectus a principalibus executioni demandatus esse debet, cum verba laedentes, perterrefacientes, diripientes, comburentes facta indicent, quae nisi completa fuerint veritatem non sortiuntur; nemo enim est diripiens, comburens, laedens nisi reapse laeserit, combusserit, diripuerit.

Verum circa *laedentes* qui primo loco excommunicantur, quibusque intelliguntur qui alicui personae damnum inferunt illico quaeritur: an laesio eiusmodi ad personam tantum referatur, an etiam ad eorum bona. Et quidem si ad sensum ab nonnullis auctoribus verbo *laedere* irrogatum attendamus, utrumque significare deprehendimus, damnum scilicet in res et personam. Laedi, scribit Vicat *Diction. iuris*, dicuntur personae quibus damnum infertur. *Laesio*, subdit Pereyra *Elucidarium S. Theologiae n. 1887* sumitur pro damno et iniuria.

Atque hisce insistentes nos ipsi *Comment. Vol. 1. pag. 291.* dum Commentationem institueremus in Cap. VIII excommunicationum primae classis, utrumque sensum verbo

laedere applicuimus (1). Attamen quidquid sit de sensu ab doctoribus prolato verbo applicato, contendimus in praesenti capite laesionem ad unam personam referri, non ad eius bona.

Et 1. eodem certe sensu Pius Papa IX eiusmodi verbum sumpsit ac S. Pius V. in citata Constitutione; atqui certum undequaque est, hunc verbo laedentes unam personalem offensam applicuisse. Etenim § 2, cuius dispositionem renovat Pius IX, de unis laesionibus personalibus loquitur et de unis personis, ut legenti patet; § 3. de laesionibus in res et bona; cum ergo in loco ex quo verbum Pius IX desumpsit, *laedere* unum sensum habeat, ei non debemus duplicem applicare,

2. Pius Papa IX verbo *laedentes* tria complexus est, quae S. Pius V diversis vocibus complexus fuerat, scilicet *occiderit, verberaverit, deiecerit*; at haec indicant offensionem et damnum in personas illatum, non in res aut bona; ergo et verbum *laedentes* a Pio Papa IX adhibitum idem significare debet.

3. Cum verbo *laedere* additur *persona* semper innuit personalem offensam, atque cum de honorum laesione ageretur, haec antiqui exprimere soliti erant; ut plurimis possemus exemplis demonstrare, quae lectores nostri videant apud

Forcellini, Facciolati, aliosque: certum est autem utrumque sensum Iurisconsultos applicare verbo *laedere* quando absolute sumitur, sine ullo scilicet addito quod nec ad personas nec ad res respectum habeat; quinimo Brissonium adesse, qui *Voc. Iur. V. Laedi* unam laesionem corporalem stricto sensu significare affirmat. Atqui certum est S. Pium V, et Pium IX verbo *laedentes* addidisse personas, scilicet inquisitores, testes, ministros; ergo nulla ratio est, neque etymologica, qua ad personarum bona sensum pertrahere debeamus.

4. In lege poenali praesertim verba sunt obvia, naturali, et stricto sensu accipienda; cum ergo *laedere aliquem* significet per se personam aliquam offendere, non possumus ad laesorum bona sensum extendere. In poenalibus enim quod minimum est sequendum.

5. De cetero non paucorum Commentatorum haec sententia est. « *Laedere*, scribit Commentator Patavinus *n. 356* est aliquam e » personis in articulo numeratis » interficere, mutilare, verberare, » vel quancumque aliam laesionis » corporalis speciem iisdem irrogare, prout per partes describebat Bulla S. Pii V. »

Laedere, scribit Commentator Reatinus *n. 71.* stricta significa-

(1) « *Laedi* autem dicuntur personae quibus damnum infertur. Quoniam vero » damnum sive personae alicui inferri potest, sive eius bonis, hinc excommunicantur utriusque generis damna inferentes. » Nunc re melius considerata, et in eo » capite ad unas personales laesiones verbum *laedentes* restringimus.